Nor 3270.

CURRENDA XII.

A. D. 1856.

Nr. 265/pr.

Allocutio intuitu introducendi novum in Matrimonialibus Codicem, manipulationemque.

Dilectissimi in Christo Fratres!

Jam e pagellis publicis; jam e Tomo XLIV. Legum imperialium a. c. (ze Zeszytu 44. Dziennika Rządu krajow.) novas Matrim. Leges, ac proceduram in causis matrimonialibus exhibente, e 16. philuris constante, abhinc adhuc m. e. ad N. C. 2984. ad resp. Offa Dec. in uno Exemplari emisso, et certe jam Ven. Clero via cursoria communicato de novo hocce in matrimonialibus Codice novaq. praxi in fundamento Articuli X. noti Concordati delineata et cum 1. Jan. 1857. introducenda informati estis. Nos vero impræsentiarum Vobis Charissimi in Christo! nuntium mittimus, quod gressus fine consequendi Volumina præcitatarum Legum per 1. exemplar pro qualibet Ecclesia, ad Exc. C. R. Provinc. Regimen Cracov. mox direximus, sed nedum ad manus Nostras pertigerunt; qua expectatione accidit, quod Vobiscum de hocce summi momenti objecto verba facere retardati sumus. Interea, donec Legum illarum Fasciculum pro usu cujusque Esiæ submittere valeamus, ad perlustrandum Volumen penes quodlibet resp. Offum Decanal. patulum, si id nedum volvistis; nec non ad opera a Nobis pro comparatione commendata, ablegandum esse statuimus. In Volumine Legum matrimonialium prælaudato (Cesarski Patent z 8. Paźd. r. b. w sprawach małżeń.) conspicietis 3 Partes, quarum I. in Articulis XIV. Introductionem quampiam; II. ceu Appendix I. (Dodatek I.) Leges matrimoniales in §. §. 77. a Potestate Civili editas, et III. rursus Appendix II. (Dodatek II.) Leges Juris Canonici, seu Esiæ in §. §. 251. recenset, quæ posteriores Tit. I. jam de *Matrimonio*, ejusq. *impedimentis*; de *copulatione*, *dispensationeve* tractant, ac illæ Tit. II. de *Processu matrimoniali* plurima necessaria præscribunt, et quæ e compendio legum ac causarum matrim. latino sermone Viennæ 1855 per Celsis. Principem Archiep. ejatem Oth. Rauscher sub titulo: *Instructio pro judiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci quoad causas matrimoniales*, concinnato, Romæ approbato, in germ. et polon. sunt versæ, ac compedium ipsum in 5. philuris venale exponitur.

Cunctæ hæ normæ nil aliud nisi bonum Consociationis maris et fœminœ usq. ad dies vitæ, a qua salus utriusq. Reipublicæ dependet, intendunt; sancte itaq. observandæ incumbunt, ne copulatio suscipiatur illicita, ne invalida; sed ut et personæ, quæ in sanctum connubii fœdus et vitæ thorique societatem indissolubilem intendunt convenire, illum ascendant

perfectionis gradum, quem nunquam non Ecclesia sancta exoptabat; de quo Synodus Coloniensis tam egregie asserit: „Sacramentum matrimon., si quis sicut decet acceperit, accedente sacerdotali precatione, confert donum Spiritus sancti.“ (Syn. Colon. ao. 1536.) Examen igitur cum Sponsis, quamprimum mentem ineundi tanti fœderis insinuant, suscipiendum rigorosum, ope cujus jam impedimenta, jam gradus instructionis religiosæ detegantur. Neminem Vestrum latere potest, connubia multa, præprimis *politiorum*, hisce temporibus, carere pacis soliditatisq. nota; imo separationes frequenter a *thoro et mensa* expostulari. Causæ hujus funestissimæ infirmitatis vix aliæ censentur esse, quam defectus Religionis theoreticæ ac practicæ, sive moralitatis. Noveritis Fratres in Christo! sublimen vocationem: *Prædicate et docete observare omnia, quæcumq. mandavi vobis... compelle intrare... Argue, increpa ...* Obsecramus Vos in Christo Salvatore, ut cum 1. Jan. ao. 1857. accingatis Vos ad hocce novum in salutem Conjugum opus, ast non sine suspiriis ad Patrem luminum, cum nemo ignoret, precationem esse omnium bonorum caput et fontem ac salutis vitæque æternæ conciliatricem; perlustrate iterum atque iterum Leges Vobis pro norma propositas; volvite opera, cum adæquata dillucidatione vel edita vel edenda, cum omni diligentia, atq. perpensione, ut sensum illarum genuinum eruatis; ut earum tenorem *in succum et sanguinem* convertatis. Juxta effatum Renovatoris connubii Math. 10. 16. *Estote prudentes sicut serpentes* dein procedite cum sponsis, conjugibusque nullo proprii commodi aut partium studio ducti. Utinam semper præ oculis versetur Apostoli gentium monitio: *Sic nos existimet homo, ut ministros Xti et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores,* ut **fidelis** *quis inveniatur. 1. Cor. 4. 1. 2.!* Utinam ex alia parte tremenda Prophetæ sententia: *Maledictus, qui facit opus* **fraudulenter.** Jerem. 18. 10. pulset firmiter aures! et tunc eo majori respirabimus fiducia, cunctos animarum Rectores ad novi Codicis normam cum omni fidelitate et illuminato muneris zelo in conjugendis vinculo matrimonii parochianis processuros esse, atq. hoc modo sub Dei opitulatione plurimas calamitates, quæ e matrimoniorum litibus exoriri solent, depulsuros; e contra plurimam salutem tum Esiæ tum Civitati allaturos; plurima merita in libro vitæ consignanda pro se vindicaturos esse.

Quoniam impedimenta *sponsalium, Cognationis spiritualis,* hucusq. neglecta, &c ad alia accreverint: Parochianos de eorum indole, ut plura incommoda, imo damna a respectivorum ac suo tergo propellatis, cum prudentia pastorali edocete.

Ex hoc puncto in Tribunali pœnitentiæ quoq. quando macula ex copula illicita supervenerit, cautela congrua opus erit.

Interim ob debilitatem naturæ humanæ e peccato contractam, non obstante omnimodo pastorali sollicitudine, dissidia in matrimonialibus proh dolor exorientur. Respectu processuum matrimonialium sequentia puncta Ven. Clero pro notitia atq. norma significantur:

I. Præsul Diœcesanus vigore suæ Eppalis a Domino per Visibilem Ejus Vicarium in terris obtentæ jurisdictionis est ordinarius atq. exclusivus judex in causis matrimonialibus Diœcesanorum suorum.

II. Causæ litigiosæ judicio Eppali in matrimonialibus subjectæ reputantur hæ:

a) Gravamina ob denegatam copulationem. b) Discussio super validitate sponsalium. c) Dijudicatio super validitate aut invaliditate matrimonii d) Solutio matrimonii vinculi per professionem religiosam. e) Separatio a thoro et mensa. f) Secundæ nuptiæ vi declarationis de conjugis morte editæ contrahendae.

III. Quum causæ matrimoniales vigore legum Esticarum via processus canonici, nec non judiciali forma tractandæ eliberandæ sint: Nos Eppus praxi Esiæ conformiter nec non §. 97. *Instructionis de Judiciis Esticis* consentienter fine tractandi ac decidendi (§. 2. ab a—f.) enumeratas causas in Diœcesi, nimirum in Sede Eppali „*Forum Eppale in causis matrimonialibus*“ constituimus.

IV. Hocce Forum Eppale componitur heic e Præside ac 5. Consiliariis cum uno *extraordinario* atq. Defensore matrimonii, cui Secretarius additur. *Consiliarii* una cum Defensore matrimonii nomine Ordinarii loci juxta Instructionem sæpe memoratam omnes ad Eorum Tribunal delatas causas matrimoniales cum *voto decisivo* hunc in modum decident, ut antequam ad ferendam sententiam progrediantur, decisionem suam, in quam consenserant, Episcopo adjunctis rationum momentis, subjiciant, qui cuncta trutinet, ulterioraq. prædisponat (§. 178. Instr.) *Consiliarius extraordinarius* præpediti Consiliarii locum tenebit, atq. nunquam nos etiamsi nemo supplendus foret, sessionibus qua *assessor* intererit. *Secretarii* munus erit, sessionum protocollon gerendi necessariaq. elucubrandi.

V. Animarum Rectores causas matrimoniales illi Tribunali committendas, Libellos via consueta ad Coum Eppale stilisabunt, attamen cum adjecto externe in eorum involucrali charta (na adresie) apposito: *Ad manus Ordinariatus in causa matrimoniali*: Zu Händen des Hochwürdigsten Bischöflichen Ordinariats in Ehegerichts-Angelegenheit.

Præsenti Allocutioni appropinguante anno ob novum in matrimonialibus ordinem memoratu dignissimo, adjungimus cunctorum faustorum apprecationem, atq ex intimo cordis affectu elargimur benedictionem in omni humilitate et pietate ad Deum ter optimum maximum suspirantes, quatenus super Nos cunctos septiformem Spiritus S. gratiam, ex Sua infinita misericordia desuper rorare faciat, cujus ope omnis nostra in Ejus sancto servitio operatio Ipsi accepta, nobis vero salutifera nec non meritorum digna evadat, simulq. ad Ejus Nominis sanctificationem, ad majorem Ejus gloriam, ad glorificationem Ejus Regni, demum ad fidelium nobis commissorum salutem cedat. Jungite Dilectissimi Fratres in Xto! preces Vestras cum meis fervidas; insudate in nova Hierarchiæ palestra et tunc *gratia Domini Nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio Spiritus S. sit cum omnibus Vobis Amen. 2. Cor. 13. 13.*

Dabamus in Palatio Eppali Tarnoviæ ipso die Expectationis Partus B. M. V. 18 Dec. 1856.

Jos. Alojs. Pukalski,

Eppus Tarnov.

Nr. 3253.

Defectus in Sacristia supplendus commendatur.

In plerisq. Sacristiis deesse cernuntur: Stolæ duplicis coloris pro baptismate, ex una parte albi, ex altera violacei coloris; stolæ violacei coloris pro excipiendis confessionibus; Tabulæ præparationis &c. ad condignam S. Tribunalis administrationem, in Cur. X. a. e. sub Nr. 2814. Vener. Clero emissæ — vitro provisæ; Indices renovationis SS. Sacramenti; Missalia novissima, Addimentisq. Leopol. adaucta, aut integra; non minus Ritualia integra, aut sufficientia; bireta ad varias functiones speciosa; thuribula, pelvicula disciq. purgati; Elenchi presbyterorum defunctorum; aspergilla munda; demum Confessionale.

Jam Rubricarum Præscripta, jam decus Domus Dei, jam ipsa teneræ conscientiæ dictamina cuncta illa et requirunt et munditiem expostulant. Adm. RR. Decani invigilabunt, quatenus defectus hujusmodi e reditibus jurium stolæ, Esiis obvenientibus comparentur.

Nr. 3254.

Invitatio ad immittendas taxas pro Currendis.

Eodem modo ac eodem pretio (30 xr. C. M.) prodibunt Notificationes anno futuro, quo Venerab. Clerus easdem a. c. percipiebat. Commendamus Perillust. Decanis, ut statim sub exordio anni taxam quæst. a Ven. Condecanalibus, antequam aliqua inter Ipsos vicissitudo obtingat, colligere, horsum *scriptotenus* immitere; non autem *brevi manu* tradeue studeant; Condecanales vero non *diligentiores* solummodo, verum *cuncti* eas volvere ac perpendere ac in effectum deducere, et demum collectas ex integro anno in fasciculum consuere satagant, minime contenti, eas comparare, atq. sine omnimoda lustratione reponere. Requiruntur quoq. Perill. Decani qua Inspectores scholarum, ut vigore Invitationis hujatis in Cur. VIII. sub Nr. 657. in schol. impressæ, a Magistris scholarum taxam 20 xr. C. M. pro Currendis separatim in eorum favorem imprimendis. quie as anhelant, recipere, easq. ad Nos promovere properent.

Sub uno pollicemur Nobis, Perill. Decanos celerrimam Currendarum expeditionem, ut quisq. mature sine murmure eas recipiat, usumq. facere queat exoptatum, curaturos esse.

Nr. 2981.

Praenumeratio novarum Ephemeridum publicatur.

Sub redactione L. B. de Glaris cum exordio anni 1867. Viennæ prodire inchoabunt Ephemerides sub titulo: „Österreichische Zeitungshalle," quæ omni die comparebunt, constabuntq. 2 fl. 20 xr. quartaliter et 4 fl. 40 xr. C. M. semestraliter. Purus reditus, pauperum bono promittitur. Argumentum vero carum constituent novissimi e theatro politico aut domestico eventus; selectissima e scientiis artibusq. novellæ, industriam et mercaturam tangentes, inventiones variæ. Qui horum studio ac stimulo charitatis proximi ducti prænumeraturi sunt, penes suum C. R. Offum postale, quod gratis admanuationem procuraturum est, sese insinuabunt.

Nr. 3259.

Duo opera in matrimonialibus commendantur.

I. Cracoviae vulgatur opus sub titulo: Prawo o małżeństwie Katolików w Ces. Austr. według instrukcyi dla Sądów Duchownych Cesarstwa przeznaczonej; przepisów powszechnego katolickiego Prawa kościelnego i cywilnej Ustawy o Małżeństwie z d. 8. Paźd.

r. b. przez WP. Jgnac. Hammer Doktora i Professora Prawa w c. k. Jagiel. Uniwers. per tomulos (zeszyty) erga 30 xr. C. M. quorum 1us 3 philuras complectens ac primos 5. §. §. de *Sponsalibus* solide enucleans jam lucem aspexit. Opus hocce, ut videtur, in plures tomulos excrescet; rem uberrime eruditeque tractat.

Eos, qui opus praelaudatum praenumerare intendunt, ad ordinem materiarum in eo conspicuum attentos reddimus. P. T. Auctor, praemissa introductione explicatisque C. R. Patentalis de matrimonialibus Articulis XIV „*Instructionem pro judiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci quoad causas matrim.*" per Celsissimum Principem Archi Ep. Vindob. Othmarum Rauscher elaboratam, Romae approbatam, ab alto regimine acceptatam pro basi collocat, singulos illius §. §. verbotenus (latine) adducit, in polonicum vertit; dein plurima sua polonice in medium profert, plurimaque e S. S. Litteris, Conciliis, Bullis, Catechismo Rom. e variis operibus probatis citat ad verbum, idque dillucidationis gratia.

II. Aliud opus practicam in matrimonialibus Instructionem, formularia: protocolli cum Sponsis levandi, Relationum, Petitorum pro obtinendis dispensationibus &c. &c. manuductionem variam in negotio impraesentiarum quasi novo, suppeditans per Drem ac Professorem Juris canon. &c. Budvicii Fr. A. Loberschiner elucubratum, paginasq. 208. complectens venale habetur, ac comparari potest aut per vicinos Bibliopolas, aut per Cancellariam Nostram 1 Rh. 20 xr. C. M. Titulus ejus: Praktische Anleitung zum gesetzmäßigen Verfahren in Eheangelegenheiten. . . . für Seelsorger. Argumentum in 71 §§. et V. Capita dispescitur videlicet: Was hat der Seelsorger zu thun?

I. Wenn sich ein Brautpaar anmeldet. §. 1. — §. 5. A. Hindernisse der Giltigkeit §. 6. — §. 27. B. Hindernisse einer erlaubten Eheschließung . §. 28. — §. 45

II. Wenn bei dem Brautexamen ein Hinderniß entdeckt wurde §. 47—55.

III. Wenn ein Brautpaar getraut werden soll. §. 36—63.

IV. Wenn die Giltigkeit einer in gehöriger Form vollzogene Trauung bestritten wird. §. 64– 67.

V. Wenn eine Scheidung von Tisch und Bett gefordert oder auf dieselbe geklagt wird. §. 64—72.

In Schulsachen.

An sämmtliche S. D. Aufsichten.

Z. 1359. Hohe Landesregierungs-Eröffnung v. 19. Nov. l. J. Z. 32327. rücksichtlich der Aufhebung des Stempels der Titelblätter.

Das hohe Unterrichtsministerium hat laut Erlaßes vom 12. Oktober l. J. Zahl 15715|1007 das Stempeln der Titelblätter bei den Verlagsgegenständen der k. k. Schulbücherverlagsdirekzion in Wien aufgehoben und anstatt dessen angeordnet, daß ein jedes Titelblatt bereits im Drucke mit dem kaiserl. Adler versehen werde.

Hiemit behebt sich die im §. 334 der pol. Schulverfassung enthaltene Verordnung der ehemal. n. ö. Landesregierung vom 3. Febr. 1787."

Hievon wird die Ehrw. S. D. Aufsicht zur Verständigung des Lehrpersonals in Kenntniß gesetzt.

Index

rerum memorabiliorum in Currendis anni 1856. contentarum.

A) In ecclesiasticis:

B) In scholasticis norm. triv.

C) In objectis Gymnasialibus.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 20. Dec. 1856.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.

APPENDIX

ad Currendam XII. a. 1856. N. 3270.

de Impedimentis matrimonialibus a 1. Jan. 1857. valituris.

A. Impedimenta canonica.

I. Dirimentia (olim trennende Hindernisse; modo Hindernisse der Giltigkeit; przeszkody co do ważności) quae matrimonium cum eis contractum ceu invalidum dirimunt, seu solvunt, juxta Compendium Rauscherianum *) ex a. 1855 Romae approbatum et in C. R. Imperio Austriaco acceptatum, nec non C. R. Patentali de 8. Oct. 1856. germ. ac polon. insertum sequentia statuuntur:

1. Defectus aptitudinis ad consentiendum; utpote penes „amentes, furiosos, infantes, et quoscunque impares, talem, qualem rei natura exigit, consensum penes copulationem praestandi“ §. 13. (Wahnsinnige, Rasende, Kinder—obłąkani, szaleni &c.)

2. Error in persona (Irrthum in der Person, pomyłka co do osoby) i. e. talis, „qui versatur circa personam futuri conjugis, aut qui in personam redundat“ auf die Person zurückfällt, spływa na osobę) In personam redundat error in ea tantum qualitate (Eigenschaft) qua sola futuri conjugis persona determinatur.“ §. 14.

Hic error qualitatis accidere posset, si sponsus, qui sponsam haud noscit, scriptotenus aut per procurationem de ea gressus instituit, et si e. g. e pluribus Titii filiabus Annam vel primogenitam vel 20 annos natam designat, ast ejus loco Claram vel alteram natu vel 25 annos habentem accipit in uxorem &c.

3. Error circa conditionem servilem (Irrthum in Betreff des Sklavenstandes; pomyłka co do stanu niewolniczego) nimirum „si liber contrahat cum servo vel serva, quos liberos putet, matrimonium.“ §. 15.

4. Impotentia „ad debitum conjugale praestandum antecedens et insanabilis“ §. 16.

5. Impubertas (Unmündigkeit, nieletność) videlicet „pueri, qui 14 et puellae, quae 12. aetatis annum nondum absolverant, inhabiles ad matrimonium reputantur et physice et moraliter.“ &c. §. 17.

6. Vis et metus (widerrechtlicher Zwang; przymus nieprawny) si „quis a quocunque per malum magnum et inevitabile injuste ipsi vel illatum vel intentatum compellitur ad matrimonii vinculum nectendum.“ §. 18.

7. Raptus (Entführung; uprowadzenie) nempe „mulier, quae matrimonium ineundi causa rapta fuerit, cum raptore, quamdiu in ejus potestate manserit, matrimonium valide contrahere nequit. Rapta est censenda mulier, quae violentia ipsi illata vel abducitur, vel in loco, ad quem dolo allecta est, detinetur; nec non ea, quae a viro, cui ante facinus rite desponsata haud fuit, ipsa licet consentiente, insciis tamen vel invitis parentibus seu tutoribus abducitur“ §. 19.

---

*) Tenor exinde heic, qui ad verbum adducitur, signis adduetionis provisus apparet.

8. Ligamen matrimoniale (bestehendes Eheband, węzeł małżeński, §. 20.

„Vinculum matrimonii valide contracti, sed nedum consummati per solemnem Religionis professionem alterius conjugis vel Summi Pontificis dispensatione dirimitur.—Matrimonium a Christianis contractum, postquam consummatum fuerit, nonnisi morte solvi potest, §. 21. adeoque „Catholicus ad nuptias alias, etsi Acatholicus a Tribunali suo divortium consecutus fuerit, transire nequit." §. 22.

„Matrimonium ab infidelibus contractum ad Xstum conversis tunc nonnisi solvitur, si conjux alter n infidelitate persistens cum Christiano cohabitare nolens, ad novas convolet núptias." §. 23.

9. Ordo sacer et votum solemne (Höhere Weihen und feierliche Ordensgelübde; wyższe święcenia i uroczyste śluby zakonne.)

Quando autem vota simplicia in congregatione regulari emissa tale impedimentum constituant, secundum statuta Ordinum a Sede apostolica approbata dijudicandum est. §. 24.

10. Cultus inter baptisatos et non baptisatos disparitas (Religionsverschiedenheit zwischen Getauften und Ungetauften.—Różność religii między chrzczonemi i niechrzczonemi. §. 25.

11. Consanguinitas (Blutsverwandtschaft, Pokrewieństwo) in linea recta (ascendente et descendente in infinitum) aut in quarto vel proximiori quodam lineae transversae gradu." juxta computum canonicum, sive ex copula licita vel illicita. §. 26.

12. Cognatio spiritualis. (Geistliche Verwandtschaft, Pokrewieństwo duchowne) ex baptismo et confirmatione, videlicet „inter Sacramenti dispensatorem et baptisatum vel confirmatum, nec non baptisati et confirmati parentes; inter patrinum quoque et baptisatum vel confirmatum, nec non baptisati vel confirmati parentes." §. 27.

13. Cognatio affinitasque civilis (Bürgerliche Verwandtschaft, Pokrewieństwo cywilne) ex adoptione (Annahme an Kindesstatt, adopcya) sive juxta Jus Romanum sive Austriacum subsecuta intercedit „inter adoptantem adoptatumque, et ab adoptato descendentes sub paterna ejus potestate adoptionis tempore constitutos,[1]) nec non inter adoptantem adoptatique uxorem, et adoptatum vicissim adoptantisque uxorem,[2]) praeterea inter adoptatum et adoptantis liberos carnales, legitimos, sub potestate paterna constitutos.[3])" §§. 28. 29.

14. Affinitas ex copula licita (Schwägerschaft aus erlaubtem Umgange, powinowactwo z spółkowania pozwolonego) „inter unam partem et alterius ad quartum usque inclusive gradum consanguineos." §. 30.

15. Affinitas ex copula illicita (Schwägerschaft aus unerlaubtem Umgange, powinowactwo z spółkowania niepozwolonego) „inter unam partem et alterius consanguineos in primo et secundo gradu." §. 31.

Hic collocatur affinitas superveniens (hinzutretende Schwägerschaft powinnowactwo przystępujące) qua „privatur conjux, qui cum alterius consanguineis in primo vel secundo gradu copula carnali culpose jungitur, jure debitum conjugale petendi, donec dispensationem (ab Eppo) obtinuerit." §. 32.

16. Justitia publicae honestatis a) „ex matrimonio rato non consummato (Forderung der öffentlichen Sittlichkeit aus einer giltigen, doch nicht vollzogenen Ehe, wymóg publicznej obyczajności z małżeństwa ważnego, atoli niedokonanego) ob

[1]) Ob paternitatem legalem. [2]) ob affinitatem legal. [3]) ob fraternitatem legal.

quam conjux, qui supervixerit aut in saeculo remanserit, cum alterius consanguineis ad quartum usque inclusive gradum inhabilis redditur.“ §. 33.

b) ex matrimonio invalide contracto non consummato inter unam partem et alterius consanguineos ad quartum usque inclusive gradum, excepto casu, si matrimonium propter defectum consensus nullum sit.“ §. 34.

c) ex sponsalibus *) (aus einem Eheverlöbniße, z zaręczeń) quae valide et pure (sine conditione) inita sunt, quorum vigore „sponsorum alter cum alterius consanguineis in primo gradu matrimonium valide contrahere nequit. „Idem operantur sponsalia sub honesta conditione contracta, postquam eadem purificata (impleta) fuerit.“ §. 35.

17. Adulterium (Ehebruch, cudzołoztwo) ob quod „inter eos, qui adulterio se polluerunt, matrimonium valide contrahi nequit, quando altero adhuc vivente conjuge, matrimonii ineundi fidem sibi dederint; vel matrimonium de facto inire attentaverint; aut quando vel una tantum pars ea intentione, ut cum altera matrimonio jungi queat, in mortem conjugis, cujus jura adulterio violavit, „*machinata fuerit effectu secuto.*“ (mit Erfolg nach dem Leben gestellt hat.. na życie małżonka (ze skutkiem) nastawała) §. 36.

18. Conjugicidium (Gattenmord, małżonkobójstwo) „inter conjugem ejusdem reum et personam, cum qua ad crimen patrandum conspiravit, matrimonium invalidum efficit, quando vel una tantum pars facinus ea intentione perpetraverit, ut cum altera matrimonium inire possit.“ §. 37.

19. Claudestinitas (Heimlichkeit, potajemność) quae tunc obtineret, si contrahentes non coram parocho proprio utriusque vel unius partis aut alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus consensum ad matrimonium declararent. „Ad matrimonium valide ineundum requiritur, ut copulatio fiat coram parocho proprio**) utriusque vel unius partis; aut coram alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et 2. v. 3. testibus. In iis tamen Imperii partibus, (Hung. et Transsilv.) pro quibus Sancta Sedes Instructionem d. 30. Aprilis 1841 edidit, absentia parochi Catholici quoad matrimonia inter Catholicos et Xtianos non Catholicos ad ipsa irritanda non sufficit.“ §. 38.

Proprius nupturientium parochus est is, in cujus parochia verum aut quasi domicilium habent (eigentlichen oder uneigentlichen Wohnsitz; mieszkanie zwyczajne lub niezwyczajne) §. 39.

Domicilium verum aut quasi domicilium

a) Domicilium verum ibi locorum est, ubi quis habitationem suam vel unice vel principaliter figit, ita, ut peregrinari dicatur, quando ibi non commoretur. Quamdiu hoc in loco habitationem sibi vel familiae suae destinatam retinet, absentia longior licet, per se sumta, non sufficit ad efficiendam domicilii veri translationem. Ubi quis duraturam figere sedem haud quidem intendit, verumtamen talem habitat in finem, ad quem assequendum longior commoratio requiritur, ibi quasi domicilium habet.“ §. 40.

---

*) „Sponsalia (a spondendo) sunt conventio, qua mas et fœmina sibi matrimonium inter se ineundi fidem dant“ §. 2. verbis aut aliis signis externis manifestata, „Valida“ reputantur illa „quae per voluntatis declarationem libere ac debita cum deliberatione factam ineuntur ab iis, qui matrimonium inter se valide ac licite contrahere possunt.“ §. 3.

**) In matrimoniis mixtis coram parocho Cathol. juxta §. 19. Pat. et Encyc. Cur. IV. 1843.

b) „Uxor, ubi maritus; minorennes, ubi parentes, nutritii, tutor, verum habent domicilium. Locus, ubi e. gr. uxor servitia praestat, aut minorennis studiorum ergo commoratur vel persona militaris stativa habet, ipsorum quasi domicilium reputandus est. Quinam minorennis censendus vel minorennibus quoad relationes juridicas aequiparandus sit, juxta legem Austriacam dijudicandum venit.“ §. 41. conf. §. 5. et 6. Ap. I. Pat.

c) „Officiales publici nec non ii, qui ad servitia quaecunque publica in dies vitae assumti sunt, domicilium verum eo habent in loco, ubi ad muneris servitiive sui ordinarii partes explendas habitant. Quando alio in loco ad extraordinarium deputantur ministerium, quod pro sua natura longiorem postulat moram, ibi quasi domicilium acquirunt.“ §. 42.

d) „Qui hominis privati, societatis aut instituti cujusdam servitiis se mancipat, quasi domicilium acquirit in loco, ubi ad servitia haecce praestanda habitat. Haud ea tamen sint oportet, quae continuam habitationis mutationem inferant. Neque ratione servitiorum, quorum quis tenore herum quoad habitationem sequi debet, loco, quo herus domicilium non habet, domicilium acquiri potest.“ §. 43.

e) „Casu, quo quis extra locum domicilii veri in aliis adhuc parochiis domus ejus usibus destinatas instructasque possideat, in illo tantum horum locorum quasi domicilium habet, ubi vel quovis anno per notabile tempus commorari solet, vel tempore, quo locum qua domicilium asserit, per sex ad minimum septimanas habitat.“ §. 44.

f) „Eorum, qui neque verum, neque quasi domicilium habent, parochus proprius is est, in cujus parochia commorantur.“ §. 45,

Competens personarum militarium parochus. „Proprius personarum ad militiam vagam pertinentium parochus est capellanus et respective superior castrensis juxta tenorem facultatum a Sancta Sede concessarum. Qui militiae stabili annumerantur, parochum domicilii adeant oportet. §. 46.

Licentia tacite concessa et mere praesumta. „Quod licentia matrimonio assistendi ab eo cui competit, (§. 38.) tacite collata sit, foederis conjugalis valori haud obest; attamen absque urgentissima quadam necessitate copulationem non peragat, cui a perocho vel ab Ordinario ipso facultas expresse haud facta sit. Licentia mere praesumta non sufficit; neque juvat, quod delegandi jus habens de ea requisitus reapse eam concessurus fuisset, aut rem postmodum ratam habeat.“ §. 47.

Subdelegandi jus. „Qui licentiam matrimonio assistendi pro universitate casuum accepit, eam pro singulis casibus alii sacerdoti cencedere potest. Qui licentiam istam pro singulo casu accepit, jure subdelegandi caret, nisi expresse ipsi collatum sit.“ §. 48.

Decisio de parochi competentia. „Quando ex quacunque ratione dubium emergat, cuinam animarum curatori jus matrimonio assistendi competat, res ad Episcopum deferenda ac ejus decisio vel ordinatio exspectanda est.“ §. 49.

Matrimonium per procuratorem contractum. „Consensus declaratio per procuratorem facta valida est, quanda hanc in rem ei mandatum speciale, personam futuri conjugis sufficienter determinans, collatum, neque tempore forsan, quo mandantis nomine matrimonium contractum sit, revocatum jam fuerit. Parochus tamen matrimonium per procuratorem ineundum nullatenus admittat, nisi Episcopus facultatem expresse concesserit.“ §. 50. Juxta §. 20. Ap. I. Pat. requiritur quoq. prævia licentia C. R. Provinc. Regiminis.

20. Conditio. (Bedingung, warunek) juxta quam matrimonium sub conditione, quæ versatur circa futurum contingens vel non contingens, initum suspenditur, usque dum conditio impleatur *) §. 52. Irritus esset consensus, qui alligaretur conditioni, substantiæ matrimonii repugnanti § 53. Qui ante conditionem impletam, matrimonium consummat, eo ipso conditioni

*) Matrimonia conditionata his in oris ignorantur.

nuntium mittit. §. 54. Ut consensus sub conditione detur, nonnisi de expressa Episcopi licentia admitti potest" §. 55.

B. De impedimentis impedientibus canonicis.*)

Impedimenta ejusmodi, quae impediunt, (prius verbiethende, modo Hindernisse einer erlaubten Eheschliessung; przeszkody co do pozwolonego zawierania małżeństwa) ne licite quamvis valide matrimonium contrahatur, sunt:

1. „Sponsalia, in quantum et quamdiu obligationem ad matrimonium contrahendum nducunt, illicitas reddunt nuptias, quascumque sponsorum alter cum tertia quadam persona contrahit." §. 37.

2. Vota simplicia (Einfache Gelübde, śluby pojedyncze) „obedientiae, paupertatis et castitatis in religiosa quadam congregatione emissa; nec non perpetuae castitatis, religionis, ordinis sacri et coelibatus eisdem ligatos haud sinunt matrimonium licite contrahere." §. 58.

3. Tempus sacratum (geheiligte Zeit, czas uświęcony) „A prima Dominica Adventus usque ad festum Epiphaniae Domini inclusive; et a feria IV. Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive prohibitum est nuptias celebrare." §. 59.

4. Bannus nuptialis (Aufgeboth, zapowiedzi) „Antequam proclamationes rite institutae fuerint, matrimonium licite contrahi nequit." §. 65.

Quando et ubi? a) „Matrimonium antequam contrahatur, a parocho sponsi et sponsae tribus diebus dominicis vel festivis inter missarum solemnia publice denuntiandum et omnis, cui impedimentum aliquod notum, ad revelandum istud monendus est. Persona nupturientium expresso utriusque nomine baptismali, cognomine, loco nativitatis, aetate, conditione ac domicilio accurate determinetur." §. 60.

b) „Si sponsus vel sponsa non tantum verum, sed etiam quasi domicilium habet, trina proclamatio tam a parocho veri, quam a parocho quasi domicilii eorum instituenda est. Quando autem contingat, ut persona quaedam praeter domicilium verum plus quam unum habeat quasi domicilium, sufficit, ut matrimonium a parocho veri ejusdem domicilii ac ab uno parochorum, in quorum territorio quasi domicilium habet, rite denuntietur." §. 61.

c) „Si sponsus vel sponsa in nulla parochiarum, ubi secundum regulas antefatas proclamatio fieri debet, per sex saltem septimanas habitet, proclamatio instituatur praeterea in Ecclesia parochiali ejus loci, ubi persona, de qua agitur, ultimo per sex saltem hebdomadas habitaverit. Peculiaribus rerum adjunctis, ne id commode fiat, obstantibus, ea de re ad Episcopum referendum est." §. 62. conf. §. 14. 15. 16. Pat. Ap. I.

d) „Apud eos, qui neque verum habent domicilium, neque in loco quasi domicili

*) De his §. 56. haec continet: „Esia matrimoniorum et decori et puritati omni ex parte provisura nec tamen consultum ducens, ut impedimentorum dirimentium numerus nimis augeatur, de matrimonio constitutiones edidit, pro quibus obedientiam postulat, quarum tamen transgressio matrimonii nullitatem minime involvit,"

per anni ad minimum jam tempus commorantur, proclamationes etiam, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium eis competunt, et quando ejusmodi jura nullibi eis competant, quantum fieri possit, etiam in parochia loci eorum natalis instituendae sunt. Nupturiente non tantum vero, sed etiam quasi domicilio carente, proclamatio fiat tam in parochia, ubi tunc temporis commoratur, quam in loco, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium ei competunt, aut quodsi nullibi iisdem gaudeat, quantum fieri possit, in parochia loci natalis.“ §. 63.

„Iterandae sunt proclamationes, quando intra sex post eas peractas menses matrimonium non contrahatur, vel et minori elapso tempore renovationem Episcopus imperet.“ §. 64.

5. Disparitas cultus inter Christianum et apostatam nec non inter Xnum catholicum et non catholicum (Religionsverschiedenheit — **Różność** wyznania religijnego) „Ecclesia detestatur fidelium cum apostatis conjugia; improbat quoque matrimonia inter Catholicos et Christianos non catholicos et ab ipsis ineundis suos dehortatur. §. 66.

6. *Interdictum Esiæ* (Verboth der Kirche — Zakaz kościoła.) „Quando fundata adsit suspicio, nupturientibus impedimentum quoddam obstare, aut timendum veniat, nuptias magnis litibus vel scandalis, aliisve malis ansam praebituras, sacrorum Antistiti jus competit et respective obligatio incumbit, matrimonii celebrationem interdicere. Quamdiu interdictum ab eodem sublatum non sit, matrimonium contrahere illicitum est.“ §. 67.

Constitutiones aliae.

a) Consensus parentum „Etiam in nectendo matrimonii vinculo memores sunto filiifamilias Domini dicentis: *Honora patrem tuum et matrem tuam*! Praeterea prona est ad praepropera consilia juventus, nisi maturioris aetatis experientia regatur, et conjugia absque debita deliberatione inita uberem malorum continent fomitem. Quocirca illicita sunt matrimonia, quae parentibus justis ex causis assensum denegantibus contrahuntur.“ §. 68.

b) Prohibitiones legis Austriacae (Verboth des österreichischen Gesetzes Zakazy ustawy Austriackiej) „Sanctum est Xtiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam Dominus ipse nos per Apostolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constitutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter Christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis minime impedire possit, civi tamen Austriaco haud licet, negligere praescriptiones, quas lex Austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit.“ §. 69.

---

*) Tales juxta Articulum XIII. C. R. Patent. de 8. Oct. 1856. non solum leges matrimonii reformatae novae in Appendice I. C. R. Patent. citati reperibiles, sed etiam leges Codicis civil. antiquae non reformatae constituunt, quae etsi modo non dirimant matrimonium, tamen observandae sunt accurate, ne secus transgressores coram Deo contrahant culpam; ne copulantes copulative juxta §. 35. Patent. &c. statutis afficiantur poenis; ne preterea copulati vigore §§. Pat. 32. 33. 34. 77. effectibus civilibus priventur, qui nonnisi matrimoniis secundum leges utriusque Reipublicae initis asseruntur. Plura desuper sub N. 35. Cur. I. ex 1857.

Prohibitiones ejusmodi sunt, ne copulentur:

a) Furiosi, dementes, mente capti §. 48. Cod. civ. &c. et impuberes ante finitum aetatis annum 14. §. 4. Appen. I. Paten. b) Minorennes legitimi ante 24. annum consumatum aut majorennes, qui ex quacumque ratione soli validam obligationem contrahere nequeunt, sine consensu patris legitimi aut eo defuncto sine tutoris declaratione et Instantiae judicialis, pupillaris consensu. §. 5. dto. c) Minorennes illegitimi sine tutoris declaratione et Instantiae judic. consensu. §. 6. d) Minorennes extranei (Ausländer) sine competentium licentia. § 7 e) Personae militares in Codice militari designatae absque respectivorum consensu. §. 10. f) Individua officialium publicorum in Ordinationibus politicis exhibita sine superiorum consensu. §. 11, g) Coacti §. 55. h) Rapti §. 56. i) In errore constituti §. 57. k. Impotentes §. 60. l) Condemnati ad mortem aut durum carcerem a tempore publicati decreti usque ad gratiam condonationis aut liberationem e carcere §. 12. m) Conjugati §. 62. n) In majoribus ordinibus constituti et professi §. 63. o) Dispares in religionis cultu §. 64. p) Consanguinei in linea recta ascendentes et descendentes omnes; reliqui usque ad gradum IV. incl. computationis civilis §. 65. q) Affinitas usque ad IV. gradum comput. civil. §. 66. r) Ambo adulteri, quorum scelus judicialiter evictum §. 13. s) Conjugicidae §. 68. t) Non proclamati t e r in Esia propria — aut propriis duabus, aut pluribus — (juxta priorem legislaturam civil.) §§. 14. 15. 16. u) Non reproclamati t e r pest sex menses §. 17. v) Sponsi ab alio, quam proprio parocho aut delegato &c. §§. 18. 19. x) Per procurationem sine Regiminis prov. facultate ac speciali plenipotentia §. 20. y) Illi, qui documenta ante copulationem necessaria producere haud valent. §. 21. z) Conjugatus ante vinculi matrimonii solutionem §. 22. zz) Vidua post judicialem matrimonii solutionem; aut post mariti obitum gravida, ante partum, et si graviditas dubia, non ante 6um mensem finitum; rursus si graviditas juxta peritorum testimonium non est probabilis, post 3. menses, attamen non sine dispensatione, nimirum in casu declarationis nullitatis, a C. R. Prov. Regimine aut a C. R. Offo Circ. si in loco non adest Regimen prov.; casu autem subsecutae mariti mortis solummodo a Regimine prov. idque nonnisi ex urgentibus motivis §. 76. Pat. Ap. I.

3. Q u a t e n u s n u p t u r i e n t e s a d c o p u l a t i o n e m a d m i t t e n d i, e t q u a e d o c u m e n t a P a r o c h o t r a d e n d a.

a) „Ad matrimonii celebrationem contracturi tunc tantum admitti debent, quando conjunctioni eorum nullum, quantum sciri possit, obstet impedimentum et cuncta præstiterint, quæ Ecclesiæ leges ad matrimonia invalida aut illicita excludendum præscribunt. In specie ipsis incumbit, proclamationes rite peractas esse comprobare nec non liberi status testimonium exhibere; et nisi aetas et origo eorum ex libris parochialibus colligi possit, litteras baptismales afferre. Quodsi nupturiens testimonium sibi baptismale parare plane non valeret, parochus ad Episcopum recurret. S u p r a m e m o r a t a s l e g i s A u s t r i a c a e p r æ s c r i p t i o n e s q u o d a t t i n e t, m a g n o a g e n d u m s t u d i o, ut a m a t r i m o n i u m c o n t r a c t u r i s e x a c t e o b s e r v e n t u r. Quod si contingat, ut parochi monita nihil proficiant, res ad Episcopum deferenda. Hoc ipsum fiat, si alia quacunque ex causa difficultates vel dubia enascantur. §. 70. Conf. §. 21. Pat. Ap. I.

b) 4. „*Exteri* non aliter, quam servatis omnibus, quæ ad matrimonium rite celebrandum requiruntur, matrimonium contrahere permittantur. In quantum parochus hoc in negotio procedere possit, quin ipsum curiae episcopali dijudicandum proposuerit, Episcopus pro rerum adjunctis constituet.“ §. 71. i. e. gressus ad resp. Legationem intuitu resciendi habilitatem ad ineundum matrimonium diriget.

c) 5. *Praematura matrimonia* sive eorum, qui annum quidem decimum quartum et respective duodecimum absolverunt, ast nondum attigerunt aetatem, qua pro terrae gentisq. ratione aptitudo ad matrimonium debita cum deliberatione ineundum et maturitas physica adesse solet.“ §. 72.

d) *Copulatio nupturientium domicilio carentium.* „Copulationem eorum, qui nec verum, nec quasi domicilium habent, peragere non licet, antequam Episcopus ipse licentiam concesserit.“ §. 73.

e) *Instructio religiosa.* „Quum matrimonium novi foederis sit sacramentum et ejus vinculo se devincientibus sanctas gravissimasque imponat obligationes, qui elementa fidei Christianæ ignorant, ad nuptias admitti nequeunt; imo antequam de Deo ejusque mandatis saltem scitu absolute necessaria didicerint, nec ad proclamanda ipsorum matrimonia parochi procedant.“ §. 74.

f) *SS. Sacramentorum susceptio.* „Decet, ut sponsi, priusquam in facie Ecclesiae foedere mortem usque duraturo jungantur, poenitentiae sacramento cor emundent et corpus Domini nostri devote suscipiant. Nec ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent. De hisce ac omnibus, quae conferre possunt, ut matrimonium pie ac decore celebretur, statuta et laudabiles consuetudines cujusque dioecesis fideliter observandae sunt.“ §. 75.

4. Libri nuptialis gestio.

a) *Inscriptio a copulante in loco.* „Parochus, cui copulationem peragere competit, tenetur, matrimonium contractum cum omnibus rerum adjunctis, quae ad probationem efficiendam necessaria *) vel utilia sunt, libro nuptiali parochiae suae propria manu inscribere. Distincte igitur exprimantur: Nomen baptismale, cognomen, aetas, religio, habitatio et conditio conjugum; insuper, an prius jam matrimonio juncti fuerint; porro nomen, religio, et conditio parentum et testium, dies, quo, nec non sacerdos, coram quo matrimonium inierunt. Quodsi difficultates emerserint, modus, quo sublatæ fuerint, indicandus venit.“ §. 76. conf. §. 28. Pat.

b) *Inscriptio casu delegationis.* „Quodsi parochus sacerdotem quemdam deleget ad copulandum sponsos in loco, ubi neuter eorum domicilium habet, incumbit ipsi, rem in libro copulatorum parochiae suae annotare. Parochus loci, ubi matrimonium contrahitur, actum modo superius exposito libro copulatorum parochiae suae propria manu inscribere et addere simul debet, a quonam parocho delegatio concessa sit. Posterior tenetur pariter, copulationem peractam, de qua spatio octo dierum certior reddendus est, libro copulatorum parochiae ipsius inferre.“ §. 77. conf. §. 29 et 30 P. Ap. I.

c) *Inscriptio exterorum.* „Casu, quo civis Austriacus petit, ut matrimonium ab eo in exteris terris initum libro copulatorum parochiae, ubi nunc domicilium fixit, inseratur, parochus libellum supplicem simul cum probationibus de conjugio rite inito allatis Episcopo proponet ac ejusdem exspectabit mandata.“ §. 78. conf. 75. P. Ap. I.

*) Consensum patris minorennium, instantiæ pupillaris aut alius &c.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 30. Dec. 1856.
Joannes Cant. Mika, Canonicus
Redactor.